

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,  
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

309

307

313

singulares patronos, scilicet Sanctam Caeciliam, S. Clementem,  
S. Catharinam, S. Andream, S. Barbaram, S. Nicolaum, S. Luciam,  
et Sanctam Mariam beatissimam Virginem. In horum Sanctorum  
diebus marinarii non minus ex superstitione quam ex devotione  
de bono vento et prospera navigatione desperant, si non habuerint  
placitum ventum et placatum mare in aliquo illorum dierum. In-  
cipit enim nunc in festo Caeciliae vel Clementis intuta fieri navi-  
gatio, et si ante festum sanctificationis beatae Virginis non pote-  
rant exire Aegeum mare, necesse erit in Cycladum insulis vel  
in aliquo portu Asiae hiemare.

303

318

298

358

258

### Profectio.

408

Vicesima secunda die, quae est sanctae Caeciliae virginis, con-  
ticuerunt paululum boreales venti in nocte praecedenti, et spes  
erat nautis, quod ad diem profecturi essemus. Praeter hoc autem,  
quod laborabant per noctem aptando navem, inquietati omnes  
fuimus per quendam infirmum galeotam agonizantem, qui in extre-  
mis laborans clamabat, cantabat, gemebat et continue loquebatur,  
cui socii sui cum candelis assistebant exspectantes ejus exilium,  
mirabantur autem omnes, quod tantis oppressus doloribus non  
moriebatur, quia multis diebus et noctibus extra mentem factus  
agonizabat, cui et ego astiti, quia prope me decubuit, et ultra  
solitum vere mirabar agonizantem, inter alta enim et profunda  
suspiria ridebat, flebat, et nemo quiescere circa eum poterat.  
Illa tamen nocte videbatur nobis mors adesse. Et dum sic circum-  
staremus agonizantem, accessit quidam graecus socius marinarius,  
increpans socios agonizantis, cur eum sic torqueri permetterent.  
Sciscitantibus autem illis, quid illi (176 a) infirmo facere debe-  
rent, dixit, nisi removeritis eum a lectulo, in quo decumbit, mori  
non poterit; erat enim lectulus saccus plenus plumis columbarum  
cujusdam mercatoris, qui comparaverat illas plumas Alexandriae,  
et dictum fuit ibi a multis, quod homo agonizans super colum-  
barum plumas non de facili posset mori. De hoc ergo multum  
mirabar, quia hoc nec legi nec prius audivi. Socii ergo agonizan-  
tis hoc audientes, subtracto sibi sacco plumarum super sacco  
cincibrorum jacere permittentes, in quo statim obiit, et mox semi-

Ende

Anfang

